



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XII. De Canonibus Apostolicis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

# CONTROVERSIA XII.

D E

## *Canonibus Apostolicis.*

**E**Xtant quidam Canones Apostolici, sic dicti, quod Apostolos hos fancivisse, & Clementem I. Pontificem Romanum in unum corpus collegisse, fidelibusque proposuisse Scriptores perhibeant. Recensentur passim octoginta quinque: & sunt à variis tum Græcis tum Latinis, antiquis & recentioribus compilati. Antiquior collectio ex Græco in Latinum traducta est Dionysii Exigui, circa annum Domini 540. in qua sunt duntaxat Canones quinquaginta. Posterioribus temporibus Collectores fuerunt Joannes Scholasticus, Laurentius Surius, Bartholomæus Caranza, Severinus Binius, Fr. Turrianus, Dominicus Nicolinus in magna illa Conciliorum mole XXXVII. voluminum, Fronto Ducaus S. I. Item Philippus Labbeus Jo. Bapt. Harduinus aliique. De Canonum verò Apostolicorum autoritate, numero, antiquitate & sinceritate non eadem est in republica litteraria sententia. Quidam absolutè sustinent, quod sint legitimi, genuini, & singulari quadam primitivæ Ecclesiæ doctrina referti. Alii quosdam paucos excipiunt, potiorem tamen Canonum partem ut fœtum Apostolicum respiciunt. Præter Turrianum & Lambertum Gruterum vix sunt, qui omnes sine discrimine Cano-

nes, ut feruntur admittunt, vel ab ipsis Apostolis consignatos credunt. Multi repertiuntur, qui à Clemente I. Pontifice eos græcè annotatos volunt; id, quod operosè contendunt idem Turrianus & Binius, hic tamen Canonem 66<sup>um</sup>, uti & ultimum, tanquam spurios, abjicit.

Neque invitâ Minervâ operam suam hæc in re collocavit R. P. Antonius Constantinus à Castrovillare Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Ex-Provincialis, dissertatione, quam edidit Romæ Anno 1697. de Canonibus Apostolorum contra Natalem Alexandrum, suppresso tamen hujus nomine. Plurimi censent 50. Canones manasse ex traditione Apostolica, quod Baronio certum videtur, non dissentiente Bellarmino. His omnibus suæ nequaquam desunt rationes, & numero plures & robore non inanes.

I. Apostoli consultò pauca litteris consignârunt; quippe nonnisi summâ, ut plurimum necessitate compulsi scribendum quid existimârunt. Interea regulas quasdam ad fidem morèsque spectantes tradiderunt, eoque pacto monita sua non membranis credete: sed cordibus imprimere voluerunt; quo etiam referendi sunt 50. Canones, qui à Clemente studiosè collecti, & in gratiam

M 3

poste-

posterorum litteris mandati ab antiquis in maxima veneratione habiti sunt. Occasionem autem hos Canones condendi praebeuit Cerinthus, populum aduersus Apostolos, tanquam Mosaicæ disciplinæ contemptores, concitans. Hinc ad mulcendos Iudæos, nuper ad fidem conversos, Moysenque penitus aboleri non passuros, Apostoli, coacto Ierosolymis Concilio, ut ostenderent se legis Zelatores, Canones hos juxta præcepta Mosaica construxerunt, ad quos Paulus sæpè in Epistolis respexit.

Horum Canonum Apostolicorum auctoritatem agnoverunt Augustissimi Imperatores. Siquidem Constantinus Magnus *Epist. 2. ad Euseb.* eosdem citat & inculcat. Iulianus *Constit. 6.* Epiphano Episcopo Constantinopolitano Patriarchæ, illos, ut ab Apostolis traditos, commendat. S. Athanasius ipsos inter hagiographa Scripta recensere non veretur. Joannes Antiochenus, qui initio sæculi VI. floruit, in Synodico suo fatetur, Sanctos discipulos & Christi Apostolos octaginta quinque Canones edidisse per Clementem Romanum. Hos amplexi sunt Sanctissimi æquè ac doctissimi Ecclesiæ Orientalis Præsules, ut liquet ex Joanne Damasceno, qui ante annos mille floruit *Lib. 4. de fid. orth. cap. 18.* ubi Canones Apostolicos Sacræ videtur adnumerare Scripturæ.

Phorius quoque eruditione spectabilis, & in discernendis Libris solertissimus Criticus, admittit illos in *Monocan.* Sic pariter viri olim celeberrimi eos allegaverunt juxta collectionem jam tum sæculo IV. vulgarem. Sæculis verò subsequentibus Canonum Apostolicorum crevit auctoritas in tantum, ut Leo IV. P. M. sæculo IX. *Epist. ad Episcopos Britannia* scribat. *De Libellis & Commentariis aliorum non convenit aliquem judicare & Sanctorum Canones relinquere, vel Decretalium regulas, id est, quæ habentur apud nos simul cum illis in Canone, & quibus*

*in omnibus Ecclesiasticis utimur iudiciis; id est, Apostolorum Nicæanorum & Ancyranorum.* Magnum etiam Whici de Apostolicis Canonibus assertioni obvenerit ex Irenæi de Clemente testimonium, quod hunc Apostolorum traditiones ferè in conspectu, & ante oculos habuisse edocemur.

II. Oecumenica Concilia, & alii Summi Pontifices quoque susceperunt Canones Apostolicos, & in veneratione habuerunt, nec non suis Decretis inseruerunt. Synodus Trullana *cap. 2.* Collectionem Canonum Apostolicorum recepit & approbavit horum verborum tenore. *Hoc quoque huic Sanctæ Synodo pulcherrimè & honestissimè placuit; ut ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum medelam & perturbationum curationem firmi stabilesque maneant, qui à Sanctis Patribus, qui nos præcesserunt suscepti ac confirmati sunt Sanctorum & gloriosorum Apostolorum nomine; octoginta quinque Canones.* Deinde Synodus Generalis VI. aliàs 7<sup>ma</sup> *Ath. 1.* Canones Apostolicos iussit produci, & in publico legi consensu, ad eoque eosdem ratos atque authenticos suppositus & agnovit. Denique in quamplurimis vetustissimis Pontificum Romanorum Epistolis Decretalibus Canonum Apostolicorum frequens injicitur mentio. Stephanus IV. in Synodo Romana anno 769. statuit *Ath. 4.* ut quinquaginta Canones Apostolici recipiantur, quos suscepit Sancta Dei Catholica Romana Ecclesia, Adrianus I. in veteri Codice membranaceo exhibuit Carolo Magno. Pariter in Decreto Gratiani, jussu Gregorii XIII. P. M. edito, reperiuntur hi Canones Apostolici; sicut & in cunctis Conciliis, tum vetustioribus, tum novissimis. Iple Gratianus c. 4. *Dist. 16.* sic discurret. *Cum Adrianus Papa sextam Synodum recipiat cum omnibus Canonibus suis: cum etiam Sancta illa octo universalis Concilia professione Romani Pontificis sint roboratas in sexta autem Synodo, sive in septimo Concilio, Apostolorum Canones sine recepti & ap-*

pre-

probat, pater, quod non sint inter Apocrypha deputandi. Igitur non est, inquit Albertus Pighius SSæ Theologiæ Doctor in Acad. Colonien. *Hierarch. Eccles. cap. 10.* quod Apostolorum Canones quis eleveit, aut nothos subdititios, & ab aliquo quovis impostore confictos, non autem ab Apostolis quis dicat editos. Nam horum Canonum auctoritatem receptam per Ecclesiam ab ipsis mox Apostolorum temporibus probavit Anacletus, Petri discipulus, Evaristus, Sixtus, Victor &c.

Aliorum est opinio, quod Canones, qui dicuntur Apostolici, nec ab Apostolis sint consignati, nec à Clemente collecti. Atque ita sentiunt Petrus de Marca, Cabasutius, Nat. Alexander, Elias Du Pin, & quidam non inferioris subseclii hoc ævo Scriptores, ex instituto rem pertractantes, quæ ita confici videntur.

I. Quod hi Canones, ut feruntur, fuisse ab Apostolis sanciti; utique essent inter Libros Canonicos recensendi, quia Sacram Scripturam constituerent. Nulla liquidem poterit esse major ratio, cur hi excluderentur potius, quam Apostolorum Epistolæ, etiam ad personas particulares, vel sæculari res exaratae. Quinimo Ecclesia hos Canones, ad stabiliendam Ecclesiasticam disciplinam, introducendamque uniformitatem caeremoniarum, in Libros Canonicos potissimum recensisset; si credidisset, ab ipsis Apostolis confictos; nulla autem mentio desuper unquam in Conciliis facta fuit, aut à quopiam illud propositum alicubi legitur.

II. Gelasius Pontifex Romanus in Synodo septuaginta Episcoporum, anno 494. Romæ celebrata, Libros utriusque testamenti Quatuor Conciliorum Decreta, & Sanctorum Patrum scripta recensens sic decernit. *Liber Canonum Apostolicorum Apocryphus.*

Respondent Canonum horum propugna-

tores, quod illa verba in quibusdam MSS. Codicibus antiquis minimè reperiantur: ut non extare in Codice Christophori Justelli observat Labbeus: attamen in plerisque omnibus melioris notæ exemplaribus ea legi fententur, qui in veterum monumentis sunt versati. Illud ipsum verò Decretum, quod in variante lectione reperietur sub nomine Damasi, vel Hormistæ Pontif. Romanorum hic nil officit. Sufficiat enim, quod à Sancta Sede promanatum fuerit. Et ne Libera relinquatur errandi facultas, observandum est, quod Clarissimus Baluzius in notis ad Epistolam 182. Lupi Ferratiensis scribat. Damasum fortasse primum omnium id de huiusmodi Libris statuisse: atque sic legitimabitur periodus illa, quæ in vetustis quibusdam Codicibus Dionysianæ collectionis legitur: deinde verò Gelasium renovasse Decretum Damasi, illudque auxisse reprobando Libros aliquos (inter quos Libri Canonum Apostolicorum) qui post fata Damasi evulgati fuerant. Quod idem quoque de Hormista, ut in Codice MS. vetustissimo Ecclesiæ Negellensis, & in alio quodam paris antiquitatis refertur, intelligendum venit.

Respondent alii cum Sixto Senensi *Lib. 2. Biblioth. in Clem. Turriano Lib. 1. de Can. Apost. cap. 15.* Censuram Gelasii intelligendam, non de veris Canonibus Apostolorum: sed de nonnullis aliis, quos hæretici ad arbitrium suum libidinè que confixerant, & specioso Apostolorum titulo fucârunt. Hocque Testimonio Humberti, qui Sylvæ candidæ fuit Episcopus, confirmari potest in sua ad Nicetum Pectoratum responsione, quæ habetur in Bibliotheca Patrum *tom. 4. par. 2.* cuius verba sunt. *Nam Clementis Liber, id est, itinerarium Petri Apostoli & Canones Apostolorum numerantur inter Apocrypha, exceptis capitulis 50. quæ decreverunt regulis orthodoxis adjungenda.*

Verum.

Verum hæc evasio constringitur testimonio infra referendo Isidori apud Gratianum Dist. 16. c. 1. Et si præter hos à Græcis fabricatos extitissent Canones verè Apostolici, utique ut legitimi fuissent agniti, & seorsim in classem Sacrorum Librorum recensiti, quemadmodum rejectà Epistolâ Pauli ad Senecam, Laodicensis, aliisque spuris excussis, in eandem classem relati fuerunt, quas modo in Ecclesia legimus. Quâ ratione refutantur ii, qui censuram Gelasianam restringunt ad ultimos Canones triginta quinque. Nonne Liber Canonum indefinitè, seu absolute censetur Apocryphus, & major pars sunt 50. Canones, quomodo ergo restricta censura intelligitur ad partem minorem?

Præsidium requirunt alii in explanatione APOCRYPHI; quem terminum inficiantur esse illius malignitatis, ut subjectum, de quo prædicatur, sic inficiat, quo minus de suo possit gloriari authore. His suffragatur testimonium Isidori Mercatoris *Præf. in Collect. Can.* Propterea, inquit, eorum auctoritatem cæteris præposuimus Conciliis Canones, qui dicuntur Apostolorum: licet à quibusdam Apocryphi dicantur: quoniam plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum sententias Synodali auctoritate roboraverunt.

At Isidori hujus præsidium non est stativum ut Tullius loquitur 12. *Philip.* quia sibi ipsi non constat: si tamen idem sit, cujus ab aliis fertur testimonium è Diametro contrarium, de quo latius infra. Deinde ex Joanne de Janua apud Prælustrem Cangium in *Lexico* habemus quid sit Apocryphum. Nimirum *Scripta Apocrypha sunt, quorum Origo ignoratur: & quamvis in illis sint multa vera; tamen non habentur in auctoritate ob plura falsa, quæ ibi continentur.* Ergo quia Pontifex Gelasius agnovit non constare de Origine Canonum Apostolicorum, & deprehendit in Libro illo multa contineri falsa, rectè Apocryphum censuit.

Urgent nihilominus Gelasii censuram esse

in sensu accommodo sumendam: quod scilicet Canones illi, ab Apostolis conditi quidem, verum ab aliis vitari ac Libro inscripti, sint Apocryphi, atque hinc Liber Canonum sit Apocryphus. Sic enim Bernardus Constantiensis presbyter discurret. *Apocrypha dici Ecclesiastici Doctores tradunt; non quod per omnia mentiuntur: sed quia dubia & suspecta auctoritatis esse videntur. Nam sapientissime multa Canonica suis nanis interferunt, quæ nequaquam Catholici cum iisdem nanis refutare debebunt.* Ergo dum è contra Canonicis Scriptis etiam quædam nanis insertæ reperiuntur, nequaquam ex hoc ipso capite erunt, ut Apocrypha æstimanda. Nam Per. de Marca *Lib. 3. Con. cap. 2.* sagaciter observat, varias esse Apocryphorum classes in notitia Gelasii, cum non tantum figmenta hæreticorum veniant in hunc sensum sed etiam opuscula tractatorum, in quibus sunt navi quidam: atque ita secum tentare viros eruditos asserit. Pro exemplo adducit Schelstrate *Antiq. illustr. p. 2. diff. 2. c. 1.* historiam Eusebii, quam Apocryphis accenset idem Gelasius: cum tamen paulò ante statuisset eam recipiendam, quod nimirum velit hos historiarum Libros navis quibusdam permixtos. *Licet, inquit Pontifex ob rerum notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent usquequaque non dicimus renuendos.* Idem ergo dici debet de Canonibus Apost. singulari quadam primitivâ Ecclesiæ doctrina refertis, licet ob certos navos inter Apocrypha recensitis. Sed ut priora vera esse dignoscuntur, sic quæ subjunguntur minus bene applicata videntur. Quemadmodum enim Eusebii historia Ecclesiastica non usquequaque rejicitur, sic neque Canones quæstionis, licet ab Apostolis non proveniant, planè rejiciuntur. Quo tamen manet, inter Apocrypha esse numerandos. Rectè etenim advertit doctissimus Joannes Cotelerius Apocrypha non pro pseudepigraphis duntaxat sumi: verum pro om-

omnibus; quæ, quia notam aliquam merentur, sive suppositionis sive erroris, sive impietatis, abscondi debent, atque ignorari, nec in publica versari notitia; sicut Libri Canonici Sacræ Scripturæ, aut ii Ecclesiastici Patrum, qui inoffenso pede decurri queunt. Cum itaque Pontificia autoritate Liber Canonum Apostolicorum decernatur Apocryphus, deberet & ignorari, quoad- uque à suppositione vindicaretur, aut saltem alia, ob quæ, Apocryphus pronuntiatus fuit, sint sublata. Quodli autem ex aliis causis, quam suppositionis, fuisset declaratus Apocryphus, haud dubium, quin, iis remotis, primævæ suæ integritati restitutus fuisset. Bel- latmini sententia est *de Verb. Dei Lib. 1. cap. 20.* quod Gelafius, in Decreto de Libris Ecclesiasticis, eos Libros vocet Apocryphos, qui sunt editi ab Authoribus hæreticis, vel certè suspectis.

III. Quodsi Canones illi, quantumcun- que antiqui, & in veneratione habiti, fuissent authentici, Sancti Partes utique eorundem, pro re nata, & occasione urgente, usi fuissent: dum scilicet Controverfiæ agita- bantur, quæ facillè ex iis decidi poterant. Fuit inter Victorem Romanum Pontificem & Asiaticos Episcopos acriter agitata quæstio de celebrando Paschate. Cur Pontifex non allegavit Canonem 69<sup>um</sup> de non celebrando cum Judæis Paschate? quod volebant Asiatici, & quando celebravit Polycarpus vir Apostolicus; licet Canon 8<sup>us</sup> minetur depositionem Episcopis, Presbyteris & Diaconibus, qui tunc, id est, Lunâ XIV. Pascha celebrarent. Probandum interim restat Ca- strovillare, quod ait. Quarta decimanos in Controverfiâ de Paschate celebrando tan- toperè non fuisse impugnatos; quàm quia Canonem 8<sup>um</sup> inter Apostolicos manifestè violaverint. Qui, ubi, quando horum le- gitur ided depositus Episcopus Presbyter vel Diaconus? nonne & alii Sanctimonia, & eruditione præcellentes orthodoxæ fidei pro-

fessores manifestè Pascha Luna 14<sup>ta</sup> cele- brantes, dum huic Canoni perfractariè ob- strepuissent ab Ecclesia proscripi fuissent? ut deinde proscripi sunt quartadecimani, post- quam Ecclesia in Concilio, sine reflexione habita ad Canones, definivisset, non esse celebrandum Pascha Lunâ XIV. Quo ruit illud, quod ad objectionem, de non vitato Canone, memoratus Author respondet ni- mirum litem de solo nomine moveri, quod traditio Apostolica, quam omnes in ore ha- bebant, ipsa utique in se Canon sit. Nam ex traditione quidem constabat Pascha cum Judæis non celebrandum; non tamen ex ea habebatur, contravenientes deponendos; ut Canon octavus decernit. Sunt & alii hu- jus generis Canones, qui eorundem pro- dunt suppositionem. Canones quippe 45. & 46. reprobant hæreticorum Baptisimum, quem tamen Stephanus Pontifex, quocum negotium tractabant Cyprianus & Firmilia- nus, ratum validumque esse sustinuit; quid- quid Cyprianus, etiam coacto Concilio, contrarium decernendum putaverit. Quis jam sibi fingat animo, tam, pro sua senten- tia, firmi ponderis argumentum à Cypriano aliisque Patribus non fuisse adhibitum; si Canon extitisset? Quod Castrovillare causa- tur; quasi, Patres intermisissent illos citare Canones, quia tantum irritabant Bap- tismum, in quo forma à Christo instituta non observabatur; hoc autoritate & ratione desti- tuitur. Etsi verò ultra concederetur, quod Apostoli in condendis Canonibus 21. 22. 23. & 24. in quibus de abscissis agitur, non ad sua tempora (illis siquidem nulla Castrato- rum exempla) respexissent; sed ad futura: non tamen legimus in contingentiâ facti, il- los Canones fuisse allegatos. Justinus Mar- tyr adducit exemplum alicujus adolescentis, qui à Felice Alexandrino Episcopo postula- verat, ut sibi permissum esset per medicum castrati, ubi tamen obstantium Canonum nulla sit mentio: quos utique allegasset Felix;

N

etiam,

etiam, dum fortè se ad hunc casum particularem non extendissent. Athanasius, dum de Leontio Episcopo Antiocheno seipsum abscindente ageret, nullum penitus Canonem ex his commemorat, in quos ille commisit. S. Epiphanius, dum meminit Valesium hæreticum se evitasse, nullius Canonis prohibivi facit mentionem: quodsi extitissent, potuisset scelestos hosce, quantumcunque Canonibus Apostolicis venerationem deferre renuissent, manifestæ improbitatis convincere. Canon vigesimus secundus laicum semetipsum mutilantem ab omni officio repellit: subsequens clericum ob eandem causam deponit. Si ab Apostolis hi Sancti fuissent, Alexander Hierosolymitanus & Theodotus Casariensis Episcopi nequaquam ausi fuissent Origenem sui mutilatorem ad explicandam publicè Scripturam Sacram destinare, nedum ad Sacrum presbyteratus ordinem admittere.

Porro sublatum est præsidium, quod vir doctissimus conatur desumere ex Concilio Nicæno pro causa, quam defendendam suscepit. Nimirum Patres Canonem primum condendo, cujus Leontius, post Antiochenus Episcopus Arianus causam præbuisse videtur, qui seipsum castraverat, respexisse ad Canonem 23. inter Apostolicos; eo quod simile statutum in Conciliis prioribus non extet. Quasi verò Sapientissimi Præsules, tale conficere aliàs nequirent, juxta disciplinam morèque in Ecclesia receptum. In Concilio Gangrensi circa annum 327. contra Eusthathianos habito, in Antiocheno anno 341. celebrato, Carthaginensi sub anno 348. in Concilio Constantinopolitano I., Carthaginensi II. Canones Apostolorum nunc receptibiles declaratos, nunc confirmatos quod asserit Castrovillare, non legunt ceteri minime lippî. Quodsi Patres hujus Concilii, uti & Ancyranî provocare videantur ad regulas antiquas; intelligendi sunt de moribus passim in Ecclesia intro-

ductis, & olim observatis; non Scriptis per Clementem Regulis Apostolicis, quales tunc nusquam extabant.

IV. Ipsa Canonum varietas ac diversitas eorum numerus suspicionem violentam de suppositione injicit. Quodsi ab Apostolis conditi & Clementi traditi fuissent, hos Ecclesia aut augeri aut diminui nunquam permisisset: vel saltem adjectitios à sinceris verèque Apostolicis distinxisset. In primis læculis circumferebantur Itinerarium Petri, Periodi Pauli, ejus Epistola ad Laodicenses, item ad Lucium An. Senecam atque alia hujusmodi, quæ nonnulli Sacris Litteris inferenda esse contendebant. Ast Ecclesia Catholica nunquam recepit seu approbavit, quin in Conciliis eadem ut spuria ac supposititia fuere rejecta. Liceat proinde illos Hieronymi, superiora intra Apocrypha computantis, interrogatum *Lib. de Script. Ecclesiasticis* hic subnectere de Canonibus Apostolicis. *Quale enim est ut individuum comes Apostoli inter ceteras ejus res hoc solum ignoraverit?* Passim quidem in Ecclesia Occidentali numerabantur Canones quinquaginta. Zephyrinus Papa tamen in *Epist. ad Episc. Sicilia.* 60. Apostolicos Canones esse scribit. Uno minus Turrianus ex antiquo quodam manuscripto Codice Pamphili collegit. Correctores Romani in Decreto Gratiani observant, in variante Lectione Canones septuaginta legi. In Orientali verò Ecclesia octoginta quinque recensentur, totque Sanctos Domini discipulos, & Apostolos, Clementis operâ edidisse, post alios scribit Joannes Scholasticus, ad stipulante Photio: Estque admissos ab Orientis Episcopis, asseverat Joannes Damascenus. Imò in memorato decreto Gratiani, jussu Gregorii XIII. edito, dist. 16. c. 4. totidem dicuntur rati & confirmati à Synodo Oecumenica IV. nihilominus tamen, illi etiam, qui Canones hos, ut genuinos tuentur, quosdam habent suspectos; quosdam, ut supernumerarios, abjiciunt.

Quan-

Quandoquidem stylus juxta S. Augustinum *Epist. 48.* est facies ingeniorum, nonnulli quidem Canones Apostolicos impugnant etiam ex styli diversitate, respectu aliorum à Clemente Scriptorum: sed immeritò, cum ipsa quandoque materia diversitas nanciscatur alium stylum; quem reperimus diversum ab aliis, in *Epist. Pauli ad Hebræos*, in secunda *Epistol. Petri*, in *Apocalypsi Joannis &c.* satis superque censebit Lector, ex aliis machinis ita impeti collectionem Canonum, ut ferè conquassata videatur. Unum tamen superaddi poterit, quod ipsimet Apostoli contra Canonem 49<sup>um</sup> aut 50<sup>um</sup> juxta collectionem Dionysianam, egisse censeantur, qui trinam in Baptismo immersionem præcipit. Quem ipsos observasse difficillimè est creditu, quando plurimos uno die baptizârunt: sed neque Ecclesia Orientalis illum ritum baptizandi primis temporibus ubique observavit.

Ut autem res suis exactè ponderetur momenti; quæ in adversum ponuntur, relevanda sunt. Atque imprimis *Epistolæ*, quæ ad probandam Canonum auctoritatem adferuntur, haud majoris sunt auctoritatis, quàm ipsi præsentis Canonès: præsertim illæ, quæ finguntur editæ ante tempora Syricii Papæ, seu annum æræ Christianæ 384. aut, si genuinæ sunt, quæ Canones Apostolicos seu regulas allegant, commodè intelliguntur de consuetudinibus Ecclesiæ veteris, more, lege vel communi consensu introductis, observantiis Ecclesiasticis, Episcoporum placitis, Conciliorum decretis, aut denique Apostolica doctrina, quæ in eorum *Epistolis* habetur, aut per traditionem ad posteros devenit. Hæc enim omnia nomine Canonum Apostolorum insigniri possunt, ad quæ veteres suam dirigebant disciplinam. Exemplo sit, quod narrat Gregorius Turonensis *Lib. 5. hist. cap. 18.* de damnando Prætextato Rhotomagensi, cui à Chilperico missus est Canonum Codex, in quo erat no-

vus adnexus habens Canones QUASI Apostolicos. Idem patet in variis Conciliorum Decretis, in quibus fit provocatio, aut mentio Canonum, Regularum, Legumve antiquarum aliquid præcipientium, quæ in constitutionibus aut Canonibus Apostolicis non reperiuntur. Sic Concilium Nicænum *Can. 13.* sancit. *Etiâ nunc Lex antiqua servabitur: ita, ut si quis egrediatur è corpore, ultimo & maxime necessario viatico minime privetur.* De hoc verò nihil extat ab Apostolis sancitum.

Profectò ne Græci quidem, qui expressius referunt, concinnatam habuerunt, aut primis sæculis ut ratam acceptârunt Canonum collectionem, tanquam ab Apostolis conditorum &c. sicut satis liquet ex *Controversiis* inter Episcopos Græcos & Romanum Pontificem. Adulto autem sæculo VI. Ecclesiæ Orientales paulatim 85. Canones receperunt, quorum pars olim à Dionysio in Latinum transfusa, post plurimum annorum decursum, etiam in Occidente locum obtinuit.

Inficiatur interim Castrovillare hanc receptionem Serotinam obstare, quo minus credibile sit hos Canones ab Apostolis manasse. Cum Libri quidam Biblici serius intra Canonem fuerint recepti; quarum tamen auctoritas non est impugnanda. Ast hi Libri; etsi à principio communi consensu Ecclesiæ non fuerint habiti pro indubiè Canonicis, de iisdem tamen recipiendis agitata causa fuit, de Canonum Apostolorum receptione in nullo unquam tractatum fuit Concilio. Et quæ ratio genuinorum Librorum asserit auctoritatem, petita ex suffragiis proxima, & continuata serie sequentium ætatum; eadem Canonum Apostolicorum auctoritatem elevat, ac diluit; utpote quorum falsitatem deprehenderint & prodiderint succedentia tempora; nec constantem illis, ac perpetuum consensum tribuerint. Quo evenit, ut suprema auctoritate Ecclesiastica in Apo-



cryphorum censum remissi fuerint. Si qui verò Pontifices alii fuerint, qui Canones, quasi ab Apostolis conditos, citaverint; iis usi sunt, quomodo David usus fuit gladio Goliath, perimendo inimicos propriis armis, à se fabricatis. Vel quia jam inoleverat usus, & credulitas admiserat, ut sic sine contradictione illi Canones passim citarentur; absque eo, quod, adhibita altiore indagine, de veritate decreverint, num omnes, vel aliqui verè vel falsè Apostolis inscribendi sint, vel inscripti. In operibus S. Athanasii nullo reperitur vestigio, quod Canones inter Hagiographa recensuerit; in quo hallucinatus fuit in Patrum monumentis versatissimus Bellarminus, uti & in eo, quod refert Tertullianum adversus Praxeam scripsisse, Canones Apostolorum esse per manus traditos. Utrumque se frustra quæsisse testantur; qui utriusque Libros, attentè perolverunt. Canones in Concilio Trullano fabricati, per exiguam sunt authoritatis; & communiter ab eruditis rejiciuntur: qui ab Episcopis Orientalibus, Constantinopoli in loco, qui Trullum vocatur, congregatis, post diu celebratam Synodum VI. in quo nulli Canones editi, huic tamen 102. affixi sunt. Cùmque eorundem quosdam pariter velint ex Synodo V. desumptos; hæc Congregatio à Græcis nominata fuit Panthecte, aliàs Quino-Sexta Synodus. Ast Sergius Papa hanc Congregationem reprobavit; & Canones repudiavit testibus Beda Anastasio &c. Vocatur proinde Conciliabulum Erraticum, quanquam verum sit, quod Adrianus I. ac ipsamet Synodus VII. contra Iconoclastas illos Canones citaverint: ferientes Ecclesiæ inimicos flagellis, quæ sibi præparaverant. Nunquam tamen Trullanos Canones in Sanctionibus Canonicis numeravit Ecclesiæ: cùm Græci in iisdem decreverint, quæ à recta Religionis norma prorsus sunt aliena, quorum conditores eò temeritatis deventerunt: ut Astorum Concilium, in quo

hæreticos, ad Ecclesiæ se recipientes, rebaptizandos statuitur, suo calculo approbaverint.

Cæterùm quod ad Authorem Apostolicorum Canonum spectat; maneat cuique, & de eo, & de eorum antiquitate sentiendi Libertas. Sæculo tertio eufos persuasum est multis viris præstantissimis, quibuscum faciunt Petrus de Marca & Elias Du Pin. Clemens Alexandrinus hîc venit in suspicionem, eò quod Eusebius *Lib. 6. H. E. cap. 4.* referat ipsum evulgasse Librum sub titulo *Ecclesiastica Regula*. Quem tamen eruditorum cœtus à Canonibus hisce planè diversum esse demonstrat. Plausibilis eorum est sententia, qui Collectionem illam ad Sæculum V. rejiciunt, aut saltem ante Nicænum Concilium factam negant. Horum Canonum Patres in Occidente primis quatuor Sæculis nullam habuisse notitiam, ut probabilissimum videtur; sic vero proximum est, unum eundemque esse Authorem Canonum, qui & Constitutionum Apostolorum: cùm in his quàm illis sit eadem materia idemque stylus, quæ iisdem affinguntur Authoribus, eundem ementiantur Notarium, conformes in iisdem deprehendantur errores. Non est extra ambiguum an Collector Canonum hoc intenderit Apostolis vindicare, eosque sic posteritati obtrudere ac si ab Apostolis formati & à Clemente consignati fuissent, an verò eorum editor bona fide & ab omni fraude alienus ipsos ex variis decretis quorumcunque Conciliorum aut etiam Pontificum Romanorum, seu Ecclesiarum disciplinis congesterit. Ab impostura hominem absolvit Du Pin, rigidus alioquin Censor. Veteratorem Canonum horum Authorem proclamant alii, quorum videtur præferenda sententia, si idem sit, qui Constitutionum fabricator, in quibus Apostolos inducit in propria persona loquentes. Et quid miri? Nunquam non exiterunt ingenia stultè ambitiosa, quæ quoquo modo sensa sua in lucem edere

edere gestierunt: cum se homines isti neque viribus, neque gratiâ satis instructos esse scirent, ut per se populo placerent, veterum nomina sunt ementiti; cum inallent sibi sub alieno nomine plaudî, quàm se sub proprio exhibitari. Hi pro conceptu suo fœlicius vel infœlicius veterum stylum & ingenium effinxerunt; & sub eorum nomine opera sua in vulgus nullo pudore ediderunt. Cùm autem inter mortales minima ferè sapientum & eruditorum copia sit, qui minus cauti & perspicaces fuere, nullo discrimine subdititios illos fœtus exceperunt, foverunt, iisque Bibliothecas referferunt.

Porro non desunt, qui omnes indifferenter hos Canones hæreticis attribuunt, quos inter recensendus venit Isidorus apud Gratianum *Distinc. 16. c. 1.* Ubi is sic inducitur. *Canones, qui dicuntur Apostolici, seu quia eosdem nec Sedes Apostolica recipit; nec Sancti Patres illis assensum attribuerunt, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscantur, tamen ab autoritate Canonum, atque Apostolicâ, eorum gesta constat esse remota, atque inter Apocrypha deputata.* De hoc Isidori testimonio fuit aliquando dubitatum num sit authenticum; idque idèd, quod in contrarium apud eundem Gratianum, alibi Isidorus citetur. Sed Antonius Augustinus Archi-Episcopus Teracoenensis arque Concilii Tridentini spectatissimus Assessor de Literatura optimè meritus *Lib. 40. Dialog. testatur Dialogo 6.* Item Correctores observant Romani in citato Decreto illa verba contineri in præfatione Isidori ad Collectionem Conciliorum, quæ ex Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ descripta Romanam missa fuit. Autumat quidem Poslevinus in *apparat. Sac. V.* Clemens ab Isidoro illud dictum propter admixtionem quorundam Canonum spuriorum post 50. priores: sed aliud colligitur ex Gratiano; qui postquam observasset Apostolorum Canones esse 50. continuò addit. *Hos non recipien-*

*dos: sed inter Apocryphos deputatos Isidorus scribit dicens. Canones qui dicuntur Apostolorum &c.* Itaque quod in adversum refertur testimonium, vel est interpolatum; aut alterius Isidori sit necesse est. Artamen adducta ab eodem Isidoro ratio, cur nempe liber Canonum horum sit Apocryphus, ab omnibus non admittitur tanquam adæquata. Et esto in iisdem reperiantur errores, fidei orthodoxæ contrarii, ab hæreticis conficti, omnium tamen Canonum Authores fuisse hæreticos meritò negant moderni critici; quibus prævit censurâ sua Hincmarus *opusculo 55.* ubi ait. *Canones, qui vocantur Apostolorum, antequam Episcopi Concilia liberè inciperent celebrare, à devotis quibusdam collecti sunt. In quibus quadam receptibilia quadam verò non servanda.* Si verum assensurus, quod à devotis collecti sint Canones Apostolorum; in eo aberravit Hincmarus, quod collectos velit, antequam Episcopi inciperent Concilia celebrare. Quis enim sibi id persuadere, Eusebium Canones hosce ignorasse, aut Hieronymum subterfugisse conditos fuisse, qui indefesso studio conquisiverunt & observârunt ea, quæ Apostoli, horumque discipuli aliique viri devoti scripto verbòve tradiderunt. Quod quidem Castrovillare negat, horumque diligentiam, ad Apostolorum Scripta relictam exoptulat, quo tamen ipsemet vir diligentissimus sese non eruit; quandoquidem saltem scriptos à Clemente citati Authores prodidissent Canones. Larvam detrahat huic Clementinæ Collectioni Eusebiana crisis de operibus Clementis *H. E. Lib. 3. cap. 32.* hujus tenoris. *Porro intelligendum est posteriorem quandam esse Epistolam, qua Clementis dicitur. Verùm eam non perinde, ut priorem approbatam cognoscimus, propterea quod animadvertimus veteres illos testimonia non aliquando suis Scriptis intexuisse. Jam verò quidam alia item opera, verbosa quidem illa & proluxa, heri & nudius tertius, proinde quasi illius essent,*

sent, introduxerunt, que quidem disputatio-  
nes Petri & Appionis continent, quorum apud  
Veteres nulla omnino sit mentio: nam puram  
illam & sinceram Apostolicam orthodoxamque do-  
ctrinam notam minime retinent. Quia ergo  
Eusebius tum hoc capite, tum alibi recenset  
Clementis genuina pariter & supposititia  
opera, nec inter hæc, nec inter illa Cano-  
nes Apostolorum collectos numerat, in com-  
perto est, Canones illo ævo necdum fuisse  
à quopiam congestos, qui per Clementem  
ad posteros venissent. Quo demum sequi-  
tur, id, quod complurimum, in quibus can-  
dor animi cum eruditione certat, est judi-  
cium, fucatas merces, à quocumque fabri-  
catas, ab Apostolis & Clemente esse meritò  
removendas. Multum profectò promerue-  
runt de republica Litteraria atque de universa  
Ecclesia viri illi doctissimi, qui in monumen-  
tis Patrum recensendis, hoc & superiori sæ-  
culo, insudarunt; copiosumque ex iis fur-  
furem secreverunt, atque opuscula, tametsi  
inventæ inter eorum Scripta, iisque passim  
attributa; tanquam spuria reseccarunt, sicut  
in cæteris scalpellum criticum adhibuerunt.  
Neque ex rejectione horum Canonum,  
quantumcunque Ecclesiæ prodesse videbun-  
tur, quidquam damni provenit: nam sepa-  
ratione lolii à frumento concuti fundamenta

orthodoxæ Religionis prudenter inficiantur.  
Baronius, qui postquam *Annal. tom. 2. ad  
an. Ch. 102. num. 7.* retulerat, Decretales  
primorum Pontificum, ut spurias rejici ab  
hæreticis (quod & ipse in Tomis sequenti-  
bus probat, dicens effictorem illarum fuisse  
Isidorum Mercatorem) mox subjungit, quod  
pariter de relectione horum Canonum intel-  
ligi debet. *Absit, ut Dei Ecclesia,  
Columna & firmamentum  
veritatis, tantâ veritatis te-  
standa labore inopiâ, ut si ex  
illis petita probationes deess-  
sent, causâ caderet; cum re-  
ferta habeat locupletissimam  
promptuaria probatissimam ve-  
ritatis; cujus nulla præsum-  
possit unquam de impostura  
esse suspicio.*

):( o ):(



CON-